



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

TRACTATUS TERTIVS
DE MORALITATE ACTIVVM
humanorum.

Ad Quaestionem 18. Divi Thomæ, & tres sequentes.

P R Æ F A T I O.



TSI triplicem Mundum olim Philosophia Platonis distinxerit, Archetypum, intellectualem, & corporeum, quos microcosmus homo, creaturarum epilogus, felici nexu in sese colligit: veriùs tamen Theologorum Scholæ, cum unicum mundum unius numinis absolutam imaginem agnoscat, triplicem in ipso ordinem rerum, naturalium, intelligibilem, & moralium distinguit. Etenim ut in Deo totius rei & entis plenitudo, infinita sapientia, ac summa bonitas existit; ita triplicem ad Deum creaturæ respectum habent, ut ad principium, exemplar, & finem. Si primam in Deo principij rationem spectes, suprema est existentium rerum causa: si ut exemplar & sapientiam inspicias, effectrices ideas habet, quibus producendis rebus modum & mensuram præfigit: si ad bonitatem animum convertas, omnia ad sese ut ultimum finem & centrum pertrahit. Ut prima rerum causa, & totius esse immensum Pelagus, infimum ordinem naturæ constituuit: ut exemplar, rebus veritatis radium infundit, quo ad altiorem intelligibilem ordinem euehantur: ut finis demum ultimus, bonitatem rebus largitur, cujus pulchritudine & convenientiâ appetitum alliciunt, & moralitatis statum constituunt. Hinc triplex illa apud sapientes transcendentalis, ut vocant, notio, quæ per omnium rerum genera divagatur, entitas, veritas, bonitas; quam ita distribuendam censeo, ut entitas naturam, veritas scientiam, bonitas virtutem omnem moralem comprehendat. Hæc quæ in cæteris specie quadam & umbra tenus spectare licet, omnino ad hominem pertinent: ut enim ex corpore & anima coalescit, nihil habet supra infimum rerum ordinem, quas natura suo ambitu claudit, etsi inter eas, quæ oculis sensibusque percipiuntur, primum locum obtineat: prout verò rationis est particeps, & virtutum intellectualium præsidio, divina & humana contemplatur, in ordinem intelligibilem transit: ac demum virtutibus moralibus instructus, & præeunte rectæ rationis iudicio, ut sese in ultimum finem dirigit, nec ab imposta sibi lege deflectit, in altiori ordine rerum, scilicet moralium, versatur. Nihil est in homine, si ipsum in primo vel altero gradu constitutum spectes, quod ad hunc tractatum pertineat: sed ut regulis morum subjectus est, à quibus aberrare potest, vel regi, omnino hanc sibi partem vindicat, & recto quidem ordine: cum enim humanorum actuum naturam, seu esse physicum moralitas consequatur; postquam superiori Tractatu de humanis actibus, tum universim, tum speciatim actum est, quoad esse physicum, & ut ad ordinem naturæ pertinent, recta methodus postulat, ut quaestiones D. Thomæ explicaturi, à decima-octava ad vigesimam-secundam, de eorum bonitate vel malitia morali differamus.